

glaubten, der Abt masse sich gegen die Regel zu viel Recht an, beachte ihre Rathschläge nicht und begünstige zu sehr seine Verwandten und Anhänger. (Trith. Annal. I. 444 ff.; chron. 189.)

**Um Sept. 1164**<sup>1)</sup> klagt Abt Manegold von Hirsau dem Bischof Hermann von Constanz den Schaden, welcher seinem Kloster während des Krieges zwischen Herzog Welf VII. und Pfalzgrafen Hugo von Tübingen durch des Pfalzgrafen Bruder Heinrich und dessen Helfer zugefügt worden sei und bittet um Schutz. (Wirtt. Urkbuch IV. 364 u. 365.)

**Um 1165**<sup>2)</sup> erwarb Ripert von Duvingen einen Weinberg daselbst für die Brüder in Zutren auf dem Hohenberg um 20 M.; er bestimmte, dass der Kämmerer Diepold von Hirsau und seine Nachfolger jährlich daraus eine Fuhr Wein für Hirsaus Mönche verwenden. Er gab noch andere 20 M. diesem Kloster unter der Bedingung, dass, wenn er lebendig nach Hirsau komme, er aufgenommen werde wie ein Bruder, wenn er gestorben sei, man für ihn bete. (cod. h. 57a u. 57b.)

**1. Aug. 1165**<sup>3)</sup> (Nachmittags) starb Abt Manegold von Hirsau und wurde vor dem St. Michaelsaltar beigesetzt. (cod. h. 9b.)

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.) 376

## Hymni Marialis: Ave Maris Stella.

### Explanatio

auctore R. P. Domno Franc. Beda Plaine, O. S. B.

Ex omnibus Liturgiae Romanae hymnis nullus forsan est, qui prae existimatione populi christiani et piorum gustu aequiparari posset Hymno Mariali: Ave, Maris Stella. Etenim alii liturgici hymni, non exceptis: Veni Creator, et Iste Confessor, qui tam frequenter hodie in usum veniunt, non sunt tamen familiares, nisi tantum clericis et monachis; dum e contra praefatus Marialis hymnus a cunctis fere Christifidelibus memoriter scitur, a multis delectabiliter quotidie ore et corde recitatur aut cantatur.

Pauper opilio, verbi gratia, custodiendo gregem suum praefati hymni strophas percurrit ac diligenter evolvit. Eodem modo pius agit agricola, dum sui agri glebam aratro et vomere pro-

<sup>1)</sup> Dieser Termin ist aus dem Todestag Manegolds und der beginnenden Fehde zu erschliessen. (Wirtt. Urkbuch I. c.)

<sup>2)</sup> Die Zeitbestimmung steht dieses Mal im cod. hirs. — Duvingen (nach cod. h. pg. 49 Anm.) verschrieben für Durningen? = Dührenbad BA. Sinsheim. — Zeuthern bad. BA. Bruhsal.

<sup>3)</sup> Demnach ist die Angabe Braunmüllers (Wetzer und Weltes Kirchenlexikon VI. pg. 25), welcher als Todesjahr Manegolds 1166 angibt, zu berichtigen.

scindit. Ille vero, qui jugum militiae saecularis portat, simili modo frequenter invocat Mariam ut iter obtineat tutum, ut pax firma sit, ut belli pericula longius arceantur. Sed nullus forsán studiosius ac nauta, ad auxiliatricem Virginem Deiparam, veram stellam Maris, confugit, quando navim impellit ventorum violentia, quando fluctus intumescunt, tristicque naufragii imminet periculum.

Quis aliunde talem agendi rationem non ex toto corde laudaret, sive in opilione et agricola vel aliis, tanquam sanctam et prudentia refertam? Numquid non est prorsus naturae conforme, ut filius matrem quotidie amanter salutet, ad ejus tutelam in omnibus adversis confugiat, ejusque laudes pio ore frequenter proferat? Porro si ex una parte Virgo Deipara mater est secundum spiritum cujuslibet Christiani, omniumque matrum piissima et amatissima, Hymnus Ave Maris Stella ex altera parte haberi potest secundum circumstantias, ceu tanquam pia vox filialis salutationis, quam dirigimus versus nostram coelestem matrem, ceu quasi clamor animae in angustia et periculis positae, quo nostram adjudtricem inclamamus ut auxilium nobis e coelo praebeat in omnibus animae et corporis periculis, ceu etiam quasi mirum compendium laudum et elogiorum, quibus grati et memores beneficiorum prosequimur eximiam Creaturam a Creatore incomparabilibus dotibus ditatam, quae aeternaliter computabitur et erit generis humani honor, gloria, et ornamentum, cui par aliud esse non potest.

His praelibatis de fama et usu praefati hymni, fatendum est tamen nihil certi hucusque assertum fuisse, sive de nomine auctoris, cui debetur istud parvum sed egregium poema, sive etiam de epocha probabili, in qua describi debuit. Quocirca, post multas de hac re duplici inquisitiones, ea quae inventa sunt lectori benevolo libenter proponam, ut ipse judicet utrum vel non sint fide et auctoritate digna. Sed insuper, ne praesens disquisitio manca remaneat, seu insufficiens videatur, aliquantulam adjiciam commentationem de littera et sensu praefati hymni, tanquam operis coronidem.

### §. 1. Hymnus Ave Maris Stella non potest attribui Fortunato seu S. Bernardo.

Pluribus vicibus assertum est hymnum, de quo tractatur, compositum fuisse seu a S. Fortunato Pictaviensi seu a S. Bernardo Claravallensi.<sup>1)</sup> Ambo quidem isti jure profecto habiti sunt viri sancti, docti et magni nominis, et ideo mihi esset pergratum agnoscere alterutrum tanquam legitimum hymni Ave Maris

<sup>1)</sup> Pro Bernardo pugnat inter alios Miechowitz Polonus, sermo 258 de Litaniis Lauretanis; pro Fortunato vero B. Tomasius, Ulys. Chevalier etc.

Stella auctorem, si veritati rerum concordaret ista assertio. Sed nihil mihi minus probabile videtur, siquidem hymnus praefatus antiquior est duodecimo seculo, in quo claruit Bernardus, posterior vero septimo, in quo obiit Fortunatus. Cujus duplicis assertionis certitudo ex authenticis documentis facile, ni fallor, stabiliri potest. Nam primo Hymnus Ave Maris Stella suum jam locum tenebat in codicibus liturgicis monasteriorum Cluniacensis, Farfensis et Cassinensis longe ante ortum ipsius Bernardi, ut clare patet ex Usibus et Consuetudinibus monasticis ac etiam ex veteri codice liturgico Cassinensi adhuc asservato.<sup>1)</sup>

Aliunde ante secundam medietatem decimi seculi, nullum omnino invenitur vestigium dicti hymni, sive in historiis, sive in codicibus.

Animadvertendum est insuper tertio loco, istum hymnum non descriptum fuisse juxta leges classicae antiquae prosodiae Latinae ab Horatio et aliis statutas, sed juxta regulas proprias poematum et sequentiarum mediæ aevi, in quibus requiritur solummodo numerus syllabarum cum aliquali assonantia,<sup>2)</sup> sed sine distinctione brevium et longarum syllabarum, quae tanti fuit pretii apud Virgilium. Porro hoc poeseos genus non fuit de more excultum, nisi multis annis post obitum Fortunati, cujus carmina exarata sunt juxta leges antiquae prosodiae nec ordinarie multum discedunt ab exemplis Horatii et aliorum bonae notae poetarum. Profecto nunquam aliquod invenitur in carminibus Fortunati vestigium assonantiae, seu alia paritas vel similitudo cum strophis hymni Ave Maris Stella: ac proinde ei minime potest attribui praefati hymni compositio.

Insuper addi potest tanquam novum argumentum et rei confirmatio, quod si revera Fortunatus Pictaviensis esset legitimus auctor Hymni Ave Maris Stella, idem hymnus suum teneret locum tum in Breviario Gothico Hispaniae<sup>3)</sup> tum in quodam Eucologio pro secularibus a B. Alcuino ordinato,<sup>4)</sup> dum de facto hymnus profanatus deest in utroque documento, cui alludor. Etenim, cum ordinatores utriusque officii suum jure merito fecerunt hymnum ejusdem Fortunati in laudem sanctae Crucis: Pange lingua . . . . proelium certaminis, cur aliam tenuissent agendi rationem erga hymnum Ave Maris Stella, si legitima esset ejusdem auctoris scriptio? Illud non video Nonne eisdem

---

<sup>1)</sup> Confer Hergott: *Disciplina monastica, usus Farfensis*, p. 29 item *Breviarium Cassinense undecimi seculi inter Codices Mazarino-Parisienses*. n. 759.

<sup>2)</sup> Assonantia et rima non adsunt in hymno, de quo tractatur, nisi raro et obiter, non continuo et vi legis.

<sup>3)</sup> Adest istud Breviarium in *Patrol. latin. t. LXXXVI*.

<sup>4)</sup> *Patrol. lat. t. CI. p. 509 et seq.*

fere laudibus et pietatis officiis Sanctam Crucem et Virginem Deiparam isti ordinatores prosequerentur?

Quidquid sit aliunde de hujus novi argumenti vi et auctoritate, ex aliis praecedentibus clare et solide eruitur hymnum, de quo agitur, antiquiorem esse seculo duodecimo, recentiore vero septimo, ac proinde nec Fortunatum Pictaviensem nec Bernardum Claravallensem vindicari posse tanquam veros ejus auctores.

Nunc vero ulterius procedendum est et inquirendum de epocha compositionis praefati hymni, de regione in qua redactus fuit, et de nomine auctoris, cui debetur. Si de iis quidem quaestionibus certitudinem absolutam assequi non possum, altum saltem probabilitatis gradum, ut spero, attingam.

## §. 2. De Epocha compositionis hymni Marialis et de regione, in qua redactus fuit.

Hymnus Ave Maris Stella probabilis conditus fuit in secunda medietate decimi seculi, ab auctore, qui erat origine Gallus, et veri similis a pio Roberto, Rege Francorum.

Tria haec asserta una conglobantur, sed eorum certitudo seu probabilitas singillatim stabilienda est.

Et primo, quoad epocham, nullum invenio motivum vi cuius honor scriptionis, de qua agitur, vindicari posset in favorem saeculi octavi vel noni. Nam si praefatus hymnus jam tunc temporis in lucem prodisset, Alcuinus illi locum dedisset in Euchologio, de quo supra, Rabanus vero et Notkerus Balbulus, qui nono seculo cursum suum peragebant, hymnos in laudem B. Virginis pro officio divino composuerunt aliquam mentionem hymni Ave Maris Stella sine dubio fecissent, si jam aliquem locum in codicibus liturgicis obtinisset, dum e contra de eo altum servant silentium.<sup>1)</sup> Hinc conjicitur praefatum hymnum nondum tunc temporis exstitisse, nempe decimo seculo inchoante, nam Notkerus obiit anno 912.

Secundo loco, quoad patriam auctoris istius hymni, ipsum poetam Gallum fuisse natione, non Italum, credo et assero. Hujus assertionis certitudo mihi videtur erui (tanquam legitima consecutio) ex praesentia simultanea dicti hymni in libris choralibus Cluniacensibus et Farfensibus circa annos 980—1000 quae res quidem sic stabilitur.

Annales monastici decimi seculi referunt quomodo monasterium Farfense in Italia, in quo monastica regula deferbuerat, ad laudabilem tunc temporis redierit disciplinam simpliciter adoptando Cluniacensium. Usus et consuetudines, sive quoad mores sive

<sup>1)</sup> Adsunt hymni Rabani in Patrol. lat. t. CXII. p. 1058 et seq.; hymni vero Notkeri in tomo CXXXI. p. 1011 et seq.

quoad chorum<sup>1)</sup> Porro cantus Hymni Marialis sane computari debet inter usus tali modo adoptatos.

Objicies forsán monasteria in talibus circumstantiis sibi invicem mutuas facere concessiones, ut pax sit firmior; unde verisimile videbitur usum praefati hymni incepisse apud Farfenses, qui singulari veneratione Virginem Deiparam tanquam domus suae patronam prosequerantur; dictusque hymnus deinde eorum imitatione acceptatus fuit et a Cluniacensibus.

Huic assertioni responderi potest rem non videri ex se improbabilem si jam aliqua fama in Italia dictus hymnus utpote scriptio auctoris Itali, gavisus fuisset in iisdem annis, sed e contra prorsus erat ignotus extra limites Farfensium et Cassinensium monasteriorum. Etenim S. Petrus Damianus praefatum hymnum non inseruit in suo officio quotidiano B. Virginis, nec ullam de eo mentionem fecit in suis scriptis<sup>2)</sup> in quibus tam multa referuntur de cultu Virginis Deiparae. Nam si haec illius agendi ratio nihil insolitum habet dum quaestio est de quodam hymno gallico origine, aliter loquendum esset si tractaretur de hymno, cujus auctor Italus fuisset natione. Hinc legitime conicitur ex usu Farfensi, de quo agitur: 1. auctorem Hymni Ave Maris Stella, non Italum fuisse sed Gallum, 2. epocham compositionis ejusdem hymni non posse inferiorem esse secundae medietati decimi seculi, siquidem jam ineunte undecimo seculo, dicti hymni cantus e Cluniaco Farfam transierat. Restat nunc inquirendum quis fuerit ejusdem hymni putativus auctor.

### §. 3. De Roberto Rege Francorum auctore putativo Hymni Ave Maris Stella.

Rebus sic stantibus, id est, postquam ostensum est auctorem hymni, de quo tractatur, esse ortu Gallum, non Italum, et epocham compositionis dicti hymni non esse aliam quam secundam medietatem decimi seculi, duo scriptores videntur posse proponi cum aliqua fiducia, tanquam auctores putativi praefati hymni, nempe Fulbertus Carnotensis episcopus et Robertus Rex Francorum; nam uterque eodem tempore fulsit insigni pietate erga Virginem Deiparam, uterque eam poetice cecinit, testibus historia et documentis publicis. Sed pro Roberto lubens sententiam feram ad hoc adductus pluribus argumentis, quae plane mihi videntur sufficere ad obtinendum mentis assensum.

Et primo dici potest in favorem Regis Francorum quod ei attribuitur explicite compositio aliquot hymnorum liturgicorum,

<sup>1)</sup> Annales O. S. B. Lib. LIII. n. 18 et seq.

<sup>2)</sup> Confer Opera ejus in Patrol. latina, t. CXLV. p. 933—952 et alibi.

quin ab historicis singulatim describantur,<sup>1)</sup> dum Fulberti poemata et hymni sacri typis integraliter, ut apparet, edita fuerunt. Quis dicere possit an Malmesburiensis et ejus sequaces, haec asserendo non alludebant Hymno Ave Maris Stella, illumque non habebant tanquam legitimam scriptionem Roberti Regis?

Insuper poemata Fulberti composita sunt pro majori parte juxta leges antiquas prosodiae latinae, e quibus multum discedunt Robertus rex, et auctor hymni, de quo hic agitur.

Tertium proponam argumentum majoris adhuc, ni fallor, virtutis et auctoritatis. Multum mihi verisimile videtur auctorem hymni Marialis aliquandiu infeliciter indulsisse illecebris vitiorum carnalium, nec e tali coeno emersisse nisi materna et potentissima interventione Virginis Deiparae. Hinc Hymnus Ave Maris Stella haberi potest meo judicio tanquam canticum exultationis et gratitudinis hujus peccatoris feliciter ad meliora conversi. Quocirca in hoc carmine auctor ille poenitens laudes grati animi miscet cum novarum supplicationum gemitibus: nam humiliter timet ne in eosdem scopulos impellatur, ne eisdem tentationum ventis ad ima praecipitia deprimatur. Lector haec omnia planius intelliget, ut spero, quando sub ejus oculis obvolvatur mea aliqualis hujus hymni explanatio. Sed antequam ad hoc veniam, recordandum est quod narrant historici de rege Roberto, et de gravi adulterio, in quod juvenis lapsus est. Qua de causa poenae excommunicationis pluribus annis subjacuit. Sed postea sincere ad meliorem rediit frugem, dignosque fecit fructus poenitentiae. Quae narratio, ut patet, prorsus convenit auctori probabili hymni Marialis, dum nihil analogum refertur et scitur de Fulberto Carnotensi. Tandem addi potest tanquam circumstantia explicativa, Robertum Regem praecipuum fuisse tunc temporis Monachorum Cluniacensium protectorem, et familiari fruitum esse amicitia SS. Maioli et Odilonis, qui unus post alium iis temporibus celebre illud asceterium rexerunt. Unde facile intelligitur cur hymnus tam pius, cujus erat auctor ipse Rex, mox post ejus scriptionem, sine mora in usum liturgicum devenerit, jubente alterutro ex duobus abbatibus, quorum nomina supra relata sunt.

Sed post tot argumenta plus minusve demonstrativa quid amplius requiri debet ut solvatur seu saltem ad probabilissimam sententiam adducatur quaestio de auctore praefati hymni Marialis? Nihil sane video, deficientibus quibuslibet documentis magis explicitis. Quapropter hujus rei elucidationem prosequi desino, et ad promissam hymni istius accedo explanationem. Ut vero dicta explanatio facilius et fructuosius intelligatur, praevius dicti hymni et integer litteralis textus sub lectoris oculis ponetur.

<sup>1)</sup> Malmesburiensis Gesta Regum Anglorum lib. 2. § 168. — Tritheim Catalogus n. 304.

§. 4. Textus Vulgatus hymni Marialis.

Ave Maris Stella  
Dei mater alma  
Atque semper Virgo  
Felix coeli porta.

Sumens illud ave  
Gabrielis ore  
Funda nos in pace  
Mutans Hevae nomen.

Solve vincla reis  
Profer lumen coecis  
Mala nostra pelle  
Bona cuncta posce.

Monstra te esse Matrem  
Sumat per te preces  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singularis  
Inter omnes mitis  
Nos culpis solutos  
Mites fac et Castos.

Vitam praesta puram  
Iter para tutum  
Ut videntes Jesum  
Semper Collaetemur.

Sit laus Deo Patri  
Summo Christo decus  
Spiritui sancto  
Tribus honor unus.

§. 5. Analysis per strophas ejusdem hymni.

Hymnus Ave Maris Stella ut unusquisque videre potest, septem habet strophas; unaquaeque vero stropharum dividitur in quatuor versus, qui versus uniformiter constant sex pedibus seu syllabis indistincte brevibus vel longis secundum circumstantias. Insuper versus rima seu assonantia aliquoties, non semper, adornantur. Iste ergo hymnus sui generis est et admodum pauci huic similes adsunt in collectionibus hymnorum: nullus vero analogus invenitur in toto Breviario Romano. Insuper artis industria

propter quam auctori debetur testimonium gratitudinis, integer praefatus hymnus, excepta doxologia, substantialiter et quasi in germine continetur in prima strophā, quae isto modo habetur quasi quinque aliarum stropharum mirum compendium: quod quidem sic comprobatur.

Primi versus unica vox: Ave totam secundae strophae praebuit materiam.

Tertia vero strophā simplex est evolutio duarum vocum: Maris Stella. quibus finitur primus ille versus.

Simili modo quarta strophā sese exhibet quasi explicatio secundi versus, dum quinta et sexta strophā e tertio et quarto versibus primae strophae eodem modo exeunt seu procedunt.

Rem nunc per partes evolvam, ut lector hymnum melius intelligat, et fructum ex eo percipiat abundantiozem.

Secundam stropham simplicem esse unice vocis: Ave, explicationem jam asserui: cujus assertionis certitudo sic stabilitur Animadvertens, ut puto, poeta quod vox Ave fit Eva, si ordo trium litterarum, quibus constat, commutatur seu retrovertitur, hac commutatione utitur ut salutet Virginem Mariam quasi novam Evam et veram Matrem viventium<sup>1)</sup> quasi creaturam sine pare, cui tota terra debitor est pro vera pace, quam attulit bonae voluntatis hominibus in suo die Natali Christus filius ejus, Deus ac Dominus noster.<sup>2)</sup>

Haec explanatio, quam propono, vocis Ave, nova forsā videbitur sed plane meo iudicio concordat intimae auctoris menti nulloque meliori modo quoad sensum litteralem, ni multum fallor, explicari possent verba ejus: mutans Evae nomen.

Nunc venio ad tertiam stropham, quae nihil aliud est quam evolutio ut dixi, duarum vocum, Maris Stella, sed mystice seu symbolice intellectarum. Aliis verbis, mare, de quo loquitur poeta, mundus est iste, quem incolimus, procellis et tempestatibus redundans, naufragiis frequens. Virgo vero Deipara stella est hujus maris salutifera, dum aliunde rei, qui peccatorum vinculis misere astringuntur, ii sunt, qui triste naufragium spirituale passi erant. Porro ut ab his vinculis peccatorum solvantur, necesse est moraliter ut pro eis intercedat meritis ejus et precibus apud Dominum Virgo Deipara, Domina coelorum et pium refugium peccatorum. Et sic mediante Maria Virgine, stella maris hujus mundi, ille qui naufragium passus mentis erat quasi coecus, redit ad lucem, novas tempestates evitat, omnibus animae et corporis bonis fruitur, et ad portum salutis feliciter inducitur.

<sup>1)</sup> Genes. III. 20. — Pugnāt Mischowitz Polonus Sermo de Litaniiis.

<sup>2)</sup> Luc. 2, 16.

Quarta strophæ: *Monstra te esse Matrem*, pro objecto et fine habet congratulari ex intimo corde Virgini, quæ Filium Dei pariens nec primam similem feminam visa est nec habere secundam. Aliquoties devoti clientes Virginis paulo aliter interpretantur hæc verba: *Monstra te esse matrem quasi sensus eorum legitimus esset: Monstra te esse matrem nostram.* Hæc interpretatio pia est sine dubio et cujuslibet erroris expers, sed tamen non plane concordat cum intima mente auctoris, qui loquebatur de privilegio maternitatis divinæ, quo majus excogitari nequit.

Sed post hanc congratulationem tam aptam ad nobis conciliandam Virginis Deiparæ elementiam, versatur mens poetæ in quinta strophæ circa aliud privilegium non minus incommunicabile, non minus laude dignum quod concessum est Virgini Mariæ: nam eadem Dei genitricis, dignitatem obtinendo, virginalem tamen pudicitiam non amisit. Qua occasione naeta loquitur simul poeta de humilitate et mansuetudine Virginis et non sine causa: siquidem asseri potest quod nunquam Mariam Filius Dei prætulisset omnibus filiabus Adæ, eam eligendo in matrem suam, si non seipsam omnibus Virgo humiliter postposuisset.

Pauca nunc de analogia, quæ existit inter sextam strophem et verba „*Felix coeli porta.*“

Ista analogia, licet forsitan raro de ea apud devotos cogitetur, non est tamen ficta meo judicio, sed indubie vera et a poeta excogitata. Etenim si ex una parte vitam agere ab omni peccati macula puram, iterque tenere tutum a scopulis tentationum et a naufragio peccatorum, duæ sunt res omnino necessariae ad promerendam beatitudinem coelestem, illa beatitudo ex altera parte essentialiter consistit in visione Christi Dei et in fruitione hujus visionis qua pariter fruitur ipsa Virgo Maria: quod est: *Videre Jesum, collaetari cum Maria*, ut expresse asserit poeta.

Ut concludatur hæc analysis, duo verba addam de doxologia: *Sit laus Deo Patri.* Prorsus clara est hæc doxologia, tresque personae Sanctæ Trinitatis speciatim nominantur et successive secundum Theologiæ regulas. Sed, quod ingenue fateor, dolendum est nihil in hac doxologia proferri de B. Virgine et de ejus privilegiis. Ita res sese habent ut dicta doxologia indistincte possit aptari cuilibet Domini nostri vel Sancti festo, cujus hymni simili gauderent metro. Quod inconveniens feliciter evitatur in aliis hymnis officii B. Virginis.

Aliunde præfatus hymnus tam pius est, et tam conveniens orationi, tanta etiam styli claritate fulget cum pluribus aliis quali-

tatibus, ut jure merito pro nihilo habeatur talis defectus species, si tamen adsit in eo defectus. De his ultimis hymni Marialis dotibus nunc breviter agendum est.

§. 6. De Hymno Ave Maris Stella tanquam formationis orationis considerato.

Ex his, quae dicta sunt de auctore hymni Ave Maris Stella, et de fine, quem sibi compositor proposuit, solide eruitur ipsummet non pro objecto habuisse integram texere epicam seu lyricam privilegiorum et praerogativarum Virginis Deiparae commendationem. Placuit ei potius tanquam misero e sordibus peccati ad Deum converso, gemere toto corde de vita praeterita coram sua coelesti Adjutrice, eamque suppliciter exorare ut meritis et precibus ipsius ab omni futuro peccatorum naufragio eriperetur, et in portum salutis feliciter induceretur. Quis vero auderet dicere poetam non attigisse metam hanc sibi propositam? Nonne praefatus hymnus haberi potest tanquam vox orationis piissimae et quidam supplicationis humillimae clamor? Quid vero deest supplicationibus quas continet hymnus Marialis? Nonne in istis agitur una de venia peccatorum praeteritorum, de vitatione futurorum et tandem de aeterna beatitudine obtinenda? Quid dicam vero de prudentia et industria oratoris, qui nihil praetermittens ut sibi melius conciliet favorem et benevolentiam Virginis Mariae tam sublimiter cecinit ipsius maternam pietatem ac coelicam potestatem? Nam, experientia teste, ut quaelibet supplicatio viro potenti exhibita aliquem obtineat effectum, favor istius potentis requirendus est per verba et signa, in quibus clare appareat in qua aestimatione eum habemus et quanti valent apud nos ipsius potentia et clementia. Porro tam alte extulit noster poeta maternam erga homines clementiam Virginis Deiparae, ejusque in coelis potentiam ut ipsius verba facta sint lapis offensionis et petra scandali aliquot haereticis seu etiam falsi nominis catholicis. Loquor de quibusdam Protestantibus et de Jansenistis, qui tanto odio persecuti sunt praefatum hymnum Marialem, ut occasione nacta, per calumniam asseruerint Ecclesiam Romanam in abyssum idololatriae cecidisse, Creatori creaturam equiparasse, jusque retinendi seu dimittendi peccata contulisse simplici feminae. Quae assertiones omnino sunt falsae et impiae. Nam poetice loquens auctor dicti hymni libere usus est licentia, quae nunquam cuilibet poetae denegata fuit, licentia scilicet loquendi indistincte de potestate immediata Dei Creatoris et de potestate simplicis mediationis Virginis Deiparae. Hinc auctor attribuendo Mariae, quae simplex est creatura conditione naturae, potestatem solvendi peccata et conferendi bona ordinis naturalis vel supernaturalis, voluit solummodo asserere nec peccata ordinarie remitti a Deo,

nec bona supra recensita conferri nisi mediante Deipara Virgine  
cujus revera merita et preces tanta apud Deum fruuntur efficacia  
ut ipsa Virgo nuncupetur: Omnipotentia simplex.<sup>1)</sup>

Et sic ista simplici distinctione immediatae et mediatae pote-  
statis semel cognita et bene intellecta evanescent calumniae haereti-  
corum, et confunditur eorum protervia. Ecclesia vero Romana  
solide jam vindicata manet, quae nunquam evidenter voluit attribuere  
simplici feminae sive jus dimittendi peccata in foro conscientiae,  
sive potestatem imperandi ventis et procellis.

Unde jure merito pii catholici talia haereticorum commenta  
exsufflantes et dedignant, eodem studio ac antequam tales  
blasphemiae palam ederentur, iisdemque laudibus praefatum  
hymnum Marialem prosecuti sunt. Quocirca dictus hymnus in suo  
textu primigenio asservatus est,<sup>2)</sup> et usque nunc magni habetur,  
quasi una ex gemmis pretiosissimis pietatis catholicae et Liturgiae  
Romanae. Sic que, Dei misericordia cooperante et adjuvante, hae-  
retici et falsi nominis Christiani suam operam perdiderunt et  
nullum tandem ex suis calumniis retulerunt fructum. Nunc, tan-  
quam hujus tractationis coronidem, pauca subjiciam verba de  
qualitatibus litterariis hujus carminis.

#### §. 7. De dotibus litterariis hymni Ave Maris Stella. Recapitulatio et conclusio.

Excluso caractere epico seu lyrico, quem auctor, ut jam  
dixi, ambire non opportunum duxit, et qui consequenter in isto  
carmine desiderari nequit, plures aliae dotes in eo inveniuntur,  
quae ei conciliarunt multa suffragia per novem secula et amplius,  
scilicet stylus est simplex, clarus et ab omni furo expers; sublimes  
sunt cogitationes, quas menti suggerit, et vividae affectiones pie-  
tatis, quas in corde nutrit.

Insuper praefatus hymnus hac distinctione non contemnenda  
fruitur quod nullus analogus invenitur in toto Breviario Romano.  
Qua de causa cantus melodicus, qui ei aptatur, adeo proprius ei  
remanet ut nulli alii solemnitati concedatur.

Tandem petitio seu obsecratio, quae tanti pretii habetur in  
hymnis liturgicis, tantam hic humilitatem spirat, tam filiali fiducia  
maternam Virginis Deiparae erga homines pietatem confitetur  
et extollit ut huic circumstantiae debeatur meo iudicio magna  
pars existimationis, qua fruitur dictus hymnus.

<sup>1)</sup> S. Bernardus dicit aequivalenter: »Deus totius boni plenitudinem in  
Maria . . . voluntas est ejus, totum nos habere voluit per Mariam.« Sermo de  
Aquaeductu n. 6 et 7.

<sup>2)</sup> Jansenista Coffin Parisiensis hymnographus temere ausus est immutare  
textum dicti hymni, sed ejus misera innovatio risu et contemptu digna est. Eam  
lector inveniet apud D. Guéranger: Institutions Liturgiques t. 2 (editio Palmé)  
p. 284 et 285.

Sed nunc quid ultra immorer? Nonne in meliorem adduxi lucem quidquid inquirere et proferre de praefato hymno Mariali mihi in mente erat, et quidquid proposui initio hujus disquisitionis? Nonne imprimis solide demonstratum est istud carmen non auctorem habuisse Bernardum Claravallensem vel Fortunatum Pictaviensem? Auctoris legitimi nomen revera non est adhuc indubie notum. Veruntamen jam non ignoratur hunc poetam Gallum esse natione, pertinere vero ad secundam medietatem decimi seculi, et probabilius nullum alium esse quam Robertum Regem Francorum. Tales sunt conclusiones historicae hujus parvae tractationis. De dotibus theologicis et litterariis ipsius hymni Marialis ostensum est etiam breviter quanta existimatione dignus sit prae styli claritate et simplicitate, prae gravitate cogitationum, quas menti suggerit, prae pietate affectionum, quas in corde nutrit, ac praesertim prae convenientia petitionum, quas in ore clientum Virginis Deiparae ponit.

Faxit Deus ut generationes, quae post nos venturae sunt, nostrae aetatis et aetatum precedentium exempla fideliter sequentes toto corde et ore concinant hymnum Ave Maris Stella in testimonium filialis erga Virginem Deiparam pietatis, in testimonium etiam tenerae fiduciae quam profitentur relate ad omnipotentiam mediationis et intercessionis ejusdem Virginis? Nam Deo sic misericorditer volente, pro salvatione majoris numeri hominum Virgo Maria adest nobis, et aderit usque in finem seculorum quasi stella salutifera maris hujus mundi tam frequentis naufragiis, ac veluti felix porta coeli seu janua coelestis beatitudinis pro fidelibus, qui a periculis naufragii finalis eripientur.

---

## Das Stift Seckau und dessen wirtschaftliche Verhältnisse im XVI. Jahrhunderte.

Studie von Dr. Anton Mell.

(Fortsetzung zu Heft I. 1893. S. 82—92.)

Die oberste Verwaltung des grossen Gütercomplexes gieng vom Stifte selbst aus. Das Haupt desselben, der Propst, legte jene Aemter, deren Hauptaufgabe war, das wirtschaftliche Wohl und Weh des Stiftes zu bewachen, in die Hände vertrauenswürdiger Klosterangehörigen.

Der Kellerer oder Hofmeister (cellerarius, chelner) führte die Oberaufsicht über die Unterthanen und ihre Gründe. Er war der Säkelwart des Klostersvermögens, über dessen jährlichen Activa und Passiva er dem Convente Rechnung legen musste. Durch die Geldgebarung stand er im innigsten Verkehre mit den